

AN. XX

N. 121

P
A
L
A
E
S
T
R
A



L A T I N A

www.culturaclassica.com

MM. MAJO et JUNIO

AN. D. MCML

Letra N°

Palaestra Exercitatoria

Regina Pacis

*Fulgor infelix oculos tenebat...
Imminet bellum; prope fulget ensis;
protinus tellus pelago cruoris
mergitur ampla.*

*Plorat occisos ululans dolore
filios mater, pia dum jacentes
—nocte sublimi— niveo nitore
sidera lambunt.*

*Mense florenti subeunte, Virgo
labitur caelo —metuens columba—
offerens dextra genitis virentem
pacis olivam.*

*Omnis in terra profugus silenter
ambulans noctu, removet timorem
luna si splendens tenebras repellit,
tristis amica.*

*Horrido belli strepitu coacta
errat humanum male multitudo;
luceas illi, reditumque cura*

Virgo Maria.

MARCELINUS GARDE

Pampilone.

Primum Carmen

*O Deus latens! Habitare tecum
in domo tua cupio sacello et
vinculis simul Tibi, bone, nectus
ludere amice.*

*Limpidis Matris salias amore
bracchiis praeceps. Aveo loqui. Te
nuper aspexi. Puer, an flaebat
lacrima vultu?*

*Triste moerebas, pie frater: omnes
namque amatores aberant. Lucerna
parvulo tantum trepidoque flammae
corde te amabat.*

*O mali Iesu patiensque noxae,
parce nunc mihi. quoque Te reliquit
Paenitens Tecum latitare flagro,
esse lucerna!*

*Ut tuum semper replet et sacellum
ignea luce trepidante lampas,
me tuo trado numeris amori
usque canentem.*

FRANCISCUS LAGE MARTÍNEZ

e III Lat. cursu

Spirit (Juvenatus hisp. C. SS. R.)

Compositiones vertendae

TERENTIUS (V)

Varro, cum Terentium verum dicit exemplum mediocris generis dicendi inter Pacuvii ubertatem ac Lucilii gracilitatem eumque praestare omnibus existimat cum naturarum imitatione tum morum descriptione, ipsi Menandro aliqua ex parte anteponit. Horatius quidem non minimam tribuit laudem cum non solum imitatur sed eum saepe transcribit. Quod si Caesar, existimator acerrimus, non nisi dimidiam partem laudis Menandri impertitur, attamen Cicero, cujus non minor est auctoritas, totam tribuere videtur.

V. MARTÍNEZ - S. GUTIÉRREZ, C. M. P.

Ex V lat. cursu

Xerae Equitum. apud Stum. Augustinum

TEXTOS PALAESTRA

Edición de texto y comentario escolar

Primer curso	}	<i>Jiménez,</i> Latín 1.º (2.ª edición)	12 ptas.
		• <i>Historiae Sacrae Compendium</i> (3.ª edic.)	5 •
Segundo curso	}	<i>Jiménez,</i> Latín 2.º (2.ª edición) (<i>en prensa</i>)	
		• <i>Repetitorium</i> (Libro de prácticas)	15 •
		• <i>Epitome Historiae Graecae</i> (4.ª edición)	6 •
Tercer curso	}	<i>Jiménez,</i> Latín 3.º (<i>en preparación</i>)	
		<i>Ramos,</i> <i>Corneli Nepotis Vitae</i>	5 •
		<i>Mir,</i> <i>Ciceronis Epistulae Selectae</i>	4 •
Cuarto curso	}	<i>Jiménez,</i> Latín 4.º (<i>en preparación</i>)	
		• <i>Caesaris de Bello Civili</i> , 2.ª edic.	6 •
		• <i>Ciceronis pro Archia poëta</i>	4 •
		• <i>Ciceronis in Catilinam</i>	4 •
Quinto curso	}	<i>Jiménez,</i> Latín 5.º (<i>en preparación</i>)	
		<i>Martija,</i> <i>Vergili Aeneidos</i> (libro 2.º)	6 •
		<i>Mesa,</i> <i>Sallusti de Conjuratone Catilinae</i>	6 •
		<i>Mir,</i> <i>Nova et Vetera</i> (método directo del latín)	20 •
		<i>Planque-Planas,</i> <i>Gramática Griega</i>	36 •
Sexto y séptimo curso	}	<i>Jiménez,</i> <i>De Orthographia Latina</i>	6 •
		<i>Martija,</i> <i>Prudenti Carmina Selecta</i> (2.ª edición)	5 •
		<i>Sarmiento,</i> <i>Martialis Epigrammata</i>	4 •
		<i>Mesa,</i> <i>Titi Livi Historiae Selectae</i>	8 •
		<i>Zuluaga,</i> <i>Horati Carmina Selecta</i>	6 •
		<i>Ruiz,</i> <i>Homeri Odyssea</i> (Primer canto)	10 •
		<i>Ramos,</i> <i>Xenophontis Anabasis</i> (Primer libro)	12 •

Edición de sólo texto

<i>Ciceronis Epistulae</i>	. . . :	2 ptas.
<i>Ciceronis in Catalinam.</i>	. . .	2 •
<i>Ciceronis pro Archia</i>	. . .	2 •
<i>C. Nepotis Vitae</i>	. . .	2 •
<i>Sallusti de Catilinae Conjuratone</i>		3 •
<i>Titi Livi Historiae</i>	. . .	3 •
<i>Vergili Aeneidos</i> (lib. II)	. . .	3 •
<i>Horati Carmina</i>	. . .	3 •

CLÁSICOS "LABOR"

Esta Colección constituye el guía obligado en la lectura y estudio de los grandes clásicos de la Antigüedad y de las Literaturas modernas. Cada volumen contiene un estudio magistral acerca de uno de los grandes autores y una selección de los textos más bellos y representativos de sus obras, facilitando con oportunos comentarios la perfecta asimilación de su contenido ideológico y su plena fruición estética.

Volúmenes de 250 a 300 páginas, tamaño manual (11,5 x 17,5), encuadernados a la holandesa, con sobrecubierta a dos tintas y un retrato del autor estudiado, impreso sobre papel couché.

VOLÚMENES PUBLICADOS

1. **HOMERO**, por J. M. PABÓN, Catedrático de Lengua y Literatura griega en la Universidad Central. Ptas. 28 —
2. **VIRGILIO**, por J. de ECHAVE-SUSTAETA, Catedrático de Lengua y Literatura latina. Ptas. 32. —
4. **BALTASAR GRACIAN**, por J. GARCÍA LÓPEZ, Catedrático de Lengua y Literatura española. Ptas. 30. —
5. **SÈNECA**, por J. F. YELA, Catedrático de Filosofía en la Universidad Central. Ptas. 30. —
6. **DEMÓSTENES**, por M. FERNÁNDEZ GALIANO, Catedrático de Lengua y Literatura griega en la Universidad Central. Ptas. 32. —

NUEVOS TOMOS EN PRENSA Y EN PREPARACIÓN

EDITORIAL LABOR, S. A.

MADRID: Alcalá, 144

BARCELONA: Ronda Universidad, 23

FOTOGRAFADOS

CLARA

IGUALADA, 6 (GRACIA) · TELEFONO, 27·69·35

BARCELONA

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis



Sanctus Antonius Maria Claret!

Nunc tandem, dum haec legunt lectores nostri, pleno ore SANCTUM appellare possumus quem etiam nunc PATREM CLARET vulgari populorum nomine vocabamus.

Sanctorum gloria demum coronatur *Pater Claret*; et profecto hoc in terris colendus erat honore vir ille apostolica caritate fervens, qui Catalauniam, Fortunatas insulas, Cubam totamque Hispaniae dicionem sacris peragravit excursionibus Dei verbum ubique praedicans; scriptor admodum popularis et fecundissimus; boni preli mirabilis auctor ac propagator; Smi. Rosarii apostolus; Academiae Sancti Michaëlis institutor; verus Actionis Catholicae a Pio Pp. XI praecursor appellatus; industrius omnium catholicorum operum et Congregationum Religiosarum Fundator et fautor, inter quas eminet Congregatio Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis Beatæ Mariae Virginis et Religiosarum a Maria Immaculata; animarum, et in primis Elisabeth Secundae, Hispaniarum Reginae, prudens moderator et magister; innumeris miraculis ac donis supernis sicut et ferventissimo in Jesum et Cor Immaculatum amore conspicuus; cui Dominus singularissimum et eximium privilegium concesserat novem extremos vitae annos sacram Eucharistiam diu noctuque in pectore perferendi.

Quem igitur populorum fama PATREM CLARET agnovistis, nunc auctoritate Apostolica SANCTUM nominabit.

Commentarius noster cum *Familia Claretiana* congaudet, tantis cum gaudiis et honoribus hac sua recurrente *Centenaria commemoratione*, hisque versibus se sollemniis Canonizationis consociat, dum laudes PATRIS in numero *extraordinario* praecinere cito conabitur.

Supplementum Lucretianum

Quicumque textum Lucretii edere in animo habet, multa corrigere debet quae codicibus manuscriptis nobis tradita sunt. Nunc ad priores meas emendationes supplementum addere velim

Lucretius ipse quidem vates naturae et poëta plebejus erat, qui secundum Ciceronis iudicium sincerum «sine multis luminibus ingenii, multae tamen artis» composuit opus de natura rerum, quod miro quodam modo integram aetatem tulit doctrinamque Epicuri philosophi atheniensis ore et more romano orbi terrarum protulit. Propter tantum valorem scientificum et poëticum non desinemus hoc carmen physicum ad primam formam a Lucretio creatam redigere.

I

264: nisi morte *adjuncta* aliena...

non «adjuta», sed «adjuncta» scribatur oportet, id quod ad «rem gigni» pertinet, non ad «patitur»; origo erroris evasit hoc modo: *adjuncta*, *adjūta*, *ad-ūta*.

271: *Corus*; cfr. SENECA, *quaest. nat.* V. 16, 5. SENECA, *Troad.* 1033.

404: canes ut montivagae persaepe *ferae ore*...

error sic exstitit: *ferae ore*, *feraere*, *ferare*; cfr. III 58 *mala ore*, *malare*.

II

137: ipsaque *tum* porro...

cfr. VI 623.

421: *crudi* turpesque...

cru —quasi haplographia quadam ante— *di* periit.

422: omnis enim, sensus quae mulcet cumque *hominis*, res...

ad «sensus» requiritur genitivus «hominis».

434: tactus enim *factus*...

tactus... factus est corporis sensus; non igitur duplex positio «tactus» necessaria est, non emphasis neque epanalepsis adhibenda.

468: *necessum*.

copula «est» per figuram ellipseos abesse potest. «necessum» exarandum est, non «necessu»; scriptum olim erat «ū» = *um*. cfr. IV 516. 1006.

547: *sumantor uti*...

-or erat antiquis temporibus ultima syllaba verborum generis passivi; cfr. STOLZ-SCHMALZ: *Lat. Grammatik*, 5. ed. p. 306, error sic evasit: *sumantor uti*; *sumant oculi*.

854: propter eandem *vim*...

displacet bis in eodem versu «res» adhibere:

918: atque animalibus *ut* mortalibus una eademque,

«ut» continet causam.

1169: Temporis incusat *numen*...

numen significat deitatem hoc loco de Tempore (littera majuscula) agitur, quod Graece *Chronos* vel *Kronos* est. Error pro «numine» sic exortum est: *numen, noumen, nomen*. Opponuntur: Tempus et saeculum, *Chronos* (deus) et homines (mortales).

III

240: sensiferos motus: *eadem* quae mente volutat.

Hoc versu vis et magnitudo mentis indicatur respectis animae atomis; mens tota et integra major et fortior est quam partes vel atomi animae; sensiferi motus sunt eadem quae mens movere (=volvere) potest.

358: perdit, *quum* expellitur aevo.

«perditum» retineri non potest; itaque «perdit, *quum*» scribendum est.

538: ut diximus *illa*

agitur de anima.

702: dispertitur *eo* per caulas corporis omnis.

«eo» est adverbium loci in totum corpus per omnes canales corporis; error ita exstitit: *eo, ergo*.

705: anima atque animus quamvis est integra *repens*

706: corpus eunt...

notandum est conjunctionem «quamvis» etiam cum indicativo copulari, cfr. STOLZ-SCHMALZ: *Lat. Gram.* 5. ed. p. 738: praeterea poetae verba eundi utuntur solum nudumque accusativum ponentes, ergo: «corpus eunt»; denique pro «recens» sententiae et metri causa «repens» (=intrans) scribatur oportet.

935: nam gratis *fuit* tibi...

forma perfecta «fuit» antiqua latina lingua cum *ū* longa utebatur pro «fuvit»; cfr. R. KÜHNER: *Gram. d. lat. Sprache* I (1912) 225.

IV

71: pauca queunt et *si* sunt...

«si» ante «sunt» haplographia omissum est.

516: *necessum* est.

scriptum erat: *necessū* = *necessum*; cfr. II 468.

632. stomachi *validum* servare tenorem.

olim «nitidum» conjeci, id quod ad colorem sanitatis describendum valet. Sed Q. Serenus Sammonicus in «libro medicinali» 367 (ed. F. VOLLMER, Lipsiae 1916) ut librum quartum Lucretii ante oculos habuit, ita versus 631-632 quoque ejusdem libri quarti Lucretii imitatus ad verbum e Lucretio exscripsit = stomachi *validum* tenorem; VAL —prorsus adaequat palaeographicè *um*— (VAL = VM). (sequar) EMIL ORTH

De vocabulis conjunctim sumptis vel de propositione

II

PRAEVIA. — In articulo superiore, de propositione generatim sermonem institui; ejusdemque notionem seu definitionem presse quidem consideravi. Vixdum igitur, ex ibidem prolatis, in hominum elocutione «vocabulum», «locutio», «phrasis» atque «propositio» inter sese distinguuntur; ac vulgo in syntactica analysi aggredienda, quae velut caput seu anima sermonis, non est ipsis vocabulis in se sumptis, sed eorundem nativae in contextu significationi maxime attendendum.

Jam vero perplura, juxta auctorum placita, propositionum genera in singulis variisque linguis recensentur. Omnis propositio, ut verbis philosophorum utar, est oralis aut scripta rei enuntiatio «ordinis secundi» seu existentiae; et duae inde conclusiones haud difficulter deducuntur. Primum, signum ordinis secundi seu existentiae cum sit dumtaxat verbum finitum vel personale, nulla districtim datur propositio sine verbo finito, eo saltem suppleto. Haec sane enuntiatio «legendis libris» nulla est propositio; siquidem ejus verbum non est personale.

Deinde, cum verbum duo prae se ferat respectus, alterum ad rem, ad intellectum alterum: propositio in se vel materialiter considerari potest ut signum, quod ajunt, actus vel potentiae rei; atque logice, ut signum actus vel potentiae mentis. Quando aliquis dicit, exempli gratia, «homo transit per stratam», ipsis propositionis vocabulis (signate) actum quidem transeundi; vocis autem tenore (exercite) propriae affirmationem mentis significat.

DIVISIO. — Nunc vero propositio, in se vel materialiter sumpta, esse potest verbi substantivi, activi, passivi et medii vocisve mediae: porro eae notiones omnibus notae sunt. Logice autem propositio in perfectam et imperfectam dividitur, prout actum mentis, aut solummodo potentiam ejusdem efferat. Haec nimirum enuntiatio «tu edisti» est propositio perfecta; imperfectaque eadem omnino est cum interrogationis signo expressa: «tunc edisti?».

Utraque insuper propositio etiam in complexam et incomplexam, in simplicem et compositam fere dividitur. Incomplexa plane est, si subjectum et praedicatum uno solum vocabulo; complexa vero, si pluribus, quod plerumque fit, vocabulis conflantur. «Fiat lux» propositio est incomplexa «impiaque aeternam timuerunt saecula mortem», complexa.

Simplex erit, si uno dumtaxat subjecto unoque praedicato constet propositio, ut «homines sunt mortales»; composita autem, si duobus pluribusve subjectis, aut duobus pluribusve praedicatis ipsa componatur, ut «secundae res, honores, imperia, victoriae fortuita sunt».

Omnis itaque propositio composita duas pluresve cogitationes effert; ex

quo nihil aliud, nisi forma quaedam breviata est duarum vel plurium propositionum: scilicet, quaevis propositio composita in totidem simplices, quot sint subjecta vel praedicata, quibus ipsa constet, dividi potest.

RELATIO. — Hucusque propositiones absolute, i. e. sine ulla relatione cum aliis sermonis partibus consideravimus; verum in ejusdem tractu propositiones inter se dependere vel relationem mutuam habere possunt. Multotiens enim a propositione incomplexa aut complexa, simplice vel composita aliae dependent, quae quidem nihil ex se, vel ut plurimum quid imperfectum significant; eae potius sunt verae partes integrales propositionis primae habendae. Igitur hae propositiones fere secundariae dicuntur, ut ab aliis magis praecipuis distinguantur, quaeque sunt primariae.

Ex hac nempe subjectionis ratione eas inter in primarias et secundarias dividi solent propositiones. Secundariae sunt, quae sensum ex se perfectum vel completum idcirco non efficiunt, quod ab alia dependeant, vel ejusmodi quasi pars integralis sint; quae vero ab alia non dependent, sed eam potius a se dependentem habent, sunt primariae. Verbi gratia, hac in enuntiatione «ego dico te esse bonum», pars prima «ego dico» propositio est primaria; et altera «te esse bonum», secundaria.

Sed propositio secundaria et alias secum adjunctas habere potest, quae ab ipsa speciatim dependeant eique intime conectantur. Nam id quidem observandum propositionem secundariam primariam esse posse respectu aliarum; quoniam propositiones, cum incidentes tum subjectae, ab aliis quae sint invicem incidentes vel subjectae dependere possunt.

Jam vero propositiones secundariae «incidentes» singillatim appellantur, si ad unum solum vocabulum sermonis referuntur, sensum ejusdem aut determinantes aut explicantes; et «conjunctae», si totius propositionis sensum, cujus pars integralis sunt, amplectantur. Enimvero propositiones «relativi» necessario sunt incidentes; illae vero «infinitivi», «gerundii» et «condicionales» sunt conjunctae.

Eae tandem propositiones, quae in alias inferciuntur, quorum sensum interrumpunt, quin tamen illum ut minimum afficiant, nomine «parenthesis» insigniuntur, verae sunt propositiones intercalares, verbi gratia: «Si nos (id quod maxime debet) nostra patria delectat».

Ad elocutionem autem complendam amplificandamque vulgo propositiones inter sese conectuntur per juxtapositionem seu immediatam collocationem, per conjunctiones, per relativum, per verborum modos: scilicet, per gerundia, infinitiva, subjunctiva. Variis quidem in linguis alias aliud iisdem de rebus auctores sentiunt.

Perplura insuper alia grammatici propositionum genera enumerant, quae non est in animo recensere; tamen in studio quam accurato structurae verborum ac diversarum propositionum est certo certius, cum scriptori tum loquenti, res potissima: in ea quidem re scopus est artis grammaticalis.

Sasaimae, in Columbia.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

De quibusdam novis vocabulis in Latinum inducendis

Andreas Avenula S. V. D. Joseph Mir, C. M. F. Sal. D.

FIDEM EXSOLVO. Aliquantulum nactus otii nihil jam habebam antiquius, quam ut exsolverem fidem: tempore non nimis longinquo responsurum me esse de illis vocabulorum novationibus, quibus et mea scripta conspersa sunt et de quibus me sententiam dicere jusseras. Ejus autem sermonis non video commodius exordium, quam ut recinam jam alias cantatam sententiam meam universam: majorem curam adhibendam esse in comparando vero sermonis latini colore, quam in evitandis vocum novitatibus, ubi apotheca vocabularia antiquorum nobis, hodiernis hominibus hodiernoque cultu instructis nihil idoneum subministrant. Quo in genere ipsos antiquos sumamus duces, qui, sicut sexcentis manifestum exemplis est, quae peregrina primum cognoverant, peregrinis vocabulis sed ad suam linguam conformatis appellare non dubitabant. Illis igitur, si quis dixisset: «Hem! quae ista tua latinitas est? quod hoc novum monstrum est nominis?» idem responsuros fuisse censeo, quod respondemus nos peregrina nostra et nova vertentibus vitio: «At nos in illa terra, ubi res nostris latine loquentium hominum oculis primum subjecta est, etiam hoc nomen deprehendimus, et hoc utimur, quoad effectum aliud erit ex Latiniore fusum fonte». Nemo unquam mihi persuadebit antiquos Italiae et earum terrarum, ad quas Latina lingua propagata est, non usuros fuisse illis vocabulis quae omnium cultiorum gentium hominibus essent in ore, non libentissime amplexuros fuisse plurima novarum rerum recte novata nomina. Ideoque censeo illud tempus, quo nos decoquimus de latinitate vocum scrupulos, multo consumi utilius in legendis bonae Latinitatis libris, Ciceronianae potissimum et Terentianae, ut crescat linguae nostrae Latinae thesaurus, varietas, clangor.

PRUDENTIA IN NOVIS VOCABULIS CUDENDIS. Sed diligenter tu cave, ne me credas tam facilem in admittendis recentibus esse, tam facilem in cudendis novis vocabulis. Qui contra omnes volo circumspectissimos. Nam me, si quid jusseris dicere Latine, quod Latine dicere nesciam, ante omnia, sicut apis argumentosa, circumvolo lexica omnia, video nationum latinarum, quae ad manum habeo vocabularia, non ut illarum nomina, non ut praecoci praecipitataque nimis ea ditem civitate Latina, sed si forte quem mihi ostendant in provinciam Latinam pontem, tento illa quae ad rem in mentem veniunt omnia, quae forte jam audiverim vel legerim revolvere studeo; postremo, si nihil antiquum, nihil hodiernum, nihil intestinum aut exterum videro, ipse demum ex tenui penu promere audeo quod illius rei anonymae adhuc imaginem quam maxime propriam mentis videatur mihi humanae sistere oculis. Ne illi male

atque crudeliter tractent reginam linguarum, si qui ignari linguae et legum derivandi vocabula quaelibet vulgaria verba pro Latinis sumant, vel non latine structa proferre audeant. Illud etiam claris verbis et identidem dictum volo tam nos esse semper debere modestos, ut facile acceptemus, si qui nobis nostris meliora proposuerint et nostra novata cogitationum nostrarum vehicula conamina esse posita in medio, ut, qui in eo genere viderint altiora, vel probent nostra conamina sua auctoritate, vel repudient allatis suis latinioribus. Neque quidquam officere censeo ejusdem rei non unam rationem esse significandi.

O quam illi bene mererentur de universo humano genere, qui sua otia conferrent ad exscribenda ex majoribus vocabulariis nomina, quibus veteres et medii aevi viri appellabant res ad vitam communem et ad artes spectantes facta in ea litterarum ordine ex vulgari lingua et vicissim in vulgarem linguam via! Quantam sibi conciliarent gratiam illi viri doctiores, qui consociati in collegium Latinitatis, de novandis vocabulis constituerent! qui peritos ad novandum invitarent, quae sunt novata colligerent, quae probarentur in lucem ederent! Sed postremum, vereor, claudemus diem neque illos decem vel viginti viros creatos esse audierimus, et relinquitur, ut nos quod facimus, pergamus facere, ut nostrae memores tenuitatis ea meditemur, quae vita cotidiana a nobis vocabula exigit.

DE BILLARDO. Sic venio ad ea, quae ipse his annis in meis vocabulis notanda ducebas, vel quae a me volebas examinari denuo. PALAESTRAE prodit fasciculus 89, ante annos quinque —quis credat tam celeriter ruere annos!— meo ornatus «billardo» editus, diligenter operoseque lucubratus. Hoc exemplo demonstrabam non tam facile fieri sermonem de quibusdam rebus recentioribus, nisi fas esset fandi, quae patres nostri ante fati non essent. Quam vero modeste ego vocabularium adnectens: «subjiciendam duxeram tabulam vocabulorum, ut lectorem invitarem, quae forte meliora et significantiora vidisset, in medium ut proferret. Huic tu, Joseph, parens adhortationi quaedam subnexuisti, quibus amice refrenares nimiam Avenulae audaciam. Difficultas autem in hoc genere nominum haec est, quod illa omnia quae ex lexicis, etiamsi «Cornu Copiae» sint, saepe non eas suppeditant cognominationes, quibus illa res denotetur ipsa, quam corporis et mentis oculis intueris. Omnes illae voces, etiam audaciores, a me, quod minus credideris, ponderatae sunt illis, quae supra dixi, praeceptis et illas audacias ego puto esse vitales linguae nostrae motiones. Et tua legens non semel ingemui «at hoc, o Joseph noster, si est usitatum etiam ab antiquis vocabulum, genus denotat illius modi rerum, ad rem illam singularem significandam, quam hic volumus, parum habet efficientiae, parum usurpatur proprie». Hoc quam in sententiam debeas interpretari, jam ipsis vocibus cognoscas, et mihi crede nullum in thesauro linguae latinae reperiri tam accommodatum illius lusus nomen, quam hoc, quod est «billardum» vel «billardarius lusus». Meum pilitudium tusionem pilarum

loquitur, propiusque ad rem accedit, quam pililudium, quam formam etiam lexicali adminiculo fulcias. Sed sunt etiam pilitudia quae billardum non sunt. Pueri quondam Steylenses totas horas consumpsimus in pilitudio, quod gallice «croquet» vocatur; fuit praeterea in illis hortis aliquod pulverulentius pilitudium, quod istic «bügeln» vocabamus et Batavis fere peculiare erat, quod hic, quale fuerit, longum est persequi. Itaque unum ex pilitudiis est quod internationali nomine est billardum, quod ubi auribus, etiam meraca assuetis Latinitate, insonuerit, tota statim lusus imago ante oculos mentis nostrae emergit. An vero illam nos malumus Latinitatem excolere, quam consignatam cernimuo vocabulariis linguae antiquae et linguae mediae aetatis scriptorum, rerum nostrarum internationalisque commercii nostri penitus ignarorum? Lili «ludus globorum eburneorum» non est nomen, non est nomen rei, sed periphrasis rei non minus genus denotans rerum, non illam rem unam certamque, quam pilitudium meum, quam Gonzalesius «tudicularis lusus». Quonam te vertes, Joseph, ab aliquo invitatus, ut secum ludo globorum eburneorum contendas? Nisi tu ante de industria consultoque te jusseris cogitare illos eburneos globos billardarios esse, verborum illorum clangore tam ad mensam billardariam properabis, quam ad aream croquetariam puerorum, et ad antiquorum pililudium, et ad alios nescio quos ludos, qui fiant eburneis globis. Quam contra certus erit tuus ad abacum et tudes incessus, si ego te jussero «ad billardum nunc, si placet», «jam billardo contendamus in horulam!» Quam te postea billardaria victoria ornabit, mea me billardaria clades non impediet, quin tecum tua perfruar victoria!

Et quare pro «carambola» collisionem non admittamus?... Quia collisio nullo modo billardarium illum dibolum, illud bitagium sonat, sed quemvis duorum inter se corporum impactionem. Quomodo vero «carambola» hispanicum redoleat sermonem magis, quam gallicum, quam italicum, quam germanicum, quam anglicum, cum gentium cultarum omnium in labris volitet, ubi notus lusus ipse est? Sed nihil prohibet stantem ad abacum et inanem ab aliquo ictum factum conspicatum dicere: nullam collisionem factam esse. Nam saepe, quae non sunt propria vocabula, hoc tempore, hoc loco enuntiata rem satis declarant. Hoc quale sit etiam «banda» docet. Possunt recte billardo adstantes «oram» dicere vel «marginem» et qui ludunt billardo possunt adversariis minari: se eos ad oram jactaturos esse; sed fatere, te oro, aliud tibi sonare «oram» aliud «bandam». Quam vero vaga ora est, quam non vaga banda; quam semel acceptam a cultioribus nationibus omnibus videre videbar et videor illam causucceam gummeamve billardarii abaci coronam, cui latinum nomen nondum inditum erat, ut nos dare plane, si loqui de re volumus, cogamur. Illa vero adjectiva nomina, quae pro meis bandariis «oraria» produxisti, tam sunt luminosa, quam et ora ipsa est; quae ego factus jam fere italus idcirco declinabo, quod viciniora sunt illi orario nostro. quod illis, qui satis flatus habent, ut adspirent vocalibus, «horarium» dicunt, quo nomine nos ordinem diurnum vel praestandi officii horas denotamus. (sequar)

Romae.

ANDREAS AVENARIUS, S. V. D.

Novum aevum Cordis Mariae!

Nox est; jam toto resplendent sidera caelo
Omniaque in terris hominumque aviumque quiescunt.
Moliturus opus — quod magnum mente volutat—
Implorat CLARET lumen viresque supernas
Virginis ante pedes, niveo quae ex marmore parvum
Materno affectu fovet Immaculata cubiculum,
Taliaque ex imo suspirans pectore fatur:
«Alma Dei Mater, Virgo dulcissima, quae te
Supplicibus natis gaudes ostendere Matrem,
Adsis!, oro TUI CORDIS quot nomine FILII
Jam nunc gaudemus dici, et per tempora cuncta
Quotquot venturis post nos dicentur in annis;
Adsis! incensi ut divino pectus amore,
Quae Patri placeant operantes fortiter omnes,
Te duce perficiant qua late extenditur orbis».
Haec orat, suavique stupens clarescere luce
Marmoreae primum miratur Imaginis ora,
Vocis et alatae sonitum dein percipit aure:
«Quod meditaris opus, fili, mea maxima cura est.
Ipsa tibi afflavi inceptum sub pectore, et Ipsa
Simonem Stockum solari hac noctis in hora
Qua volui, e caelo veni ut te quanta docerem
Per te, perque tuos tibi quot labentibus annis
Nascentur Filii, meus est facturus Jesus.
Aspicel!». Sic effata, manum circumtulit orbem
Designans, lucis qui fons micat ilico factus.
Mox crescit fulgor, spatiumque illuminat omne.
Tunc Virgo Mater: «Jam, fili, mente reconde,
Sedulus observes quod toto hoc aequore lucis.
Infusum fidei pro luce, intellege lumen.
Luce mei Cordis vivens hac Filius omnis
Exemplo firmat quae praecipit ore fideli,
Pauperibus puerisque in primis, verba salutis.
Jamque advertite tuos!... egressi paupere sede
Incumbunt operi, longe lateque per orbem,
Omnibus unde salus animis et gloria Patri.
Objiciunt Alpes nivibus juga candida frustra...
Uritur ignita frustra desertus harena...
Nulla elementa timent adversa, impervia nulla:
Omnia pro Christo tolerant, atque omnia vincunt.

Quae gens hostilis, quae numquam restitit ira?
 Qui montes umquam, vasti quaenam aequora ponti,
 Longa saeculorum serie, terraque marique?»
 Continuo CLARET montana cacumina, valles
 Miratus peragrarare suos..., praeferre videntur
 Rite Crucis signum populosque vocare salutis
 Ad fontem, per MATREM ad JESUM ducere cunctos.
 Magnae mox urbis turrets in luce serena
 Excelsae apparent, dein alta palatia et aulae
 Quo filii CLARET verique bonique magistri
 Jucundam fingunt patriaeque Deoque juventam.
 Tum Virgo: «Vobis dantur sine limite gressus
 Quo vos cumque feret terrarum Spiritus, omnes
 Ad gentes coetusque hominum; quo dextera ducet
 Vos Domini, tutos Matris vos cura periculi
 Innumera expedit crudeles inter et hostes.
 Hae curae vobis; jam praemia respice, filii».
 Hic subito CLARET caelum miratus apertum
 Milia spirituum, centenaque milia cernit
 Ante thronum Domini, divino lumine amicti
 In manibus palmas, ex auro in fronte coronas
 Gestant, unanimesque canunt: «Te jure fatemur
 Principium rerum, Omnipotens, finemque supremum,
 Qui nos e terris ad regna beata vocasti;
 Laus et honor tibi sint, virtus et gloria soli».
 Suscipit hic Virgo laetanti corde locuta:
 «Ecce tui veniunt, ecce adsunt! . . . Aspice longa
 Te annorum serie proles quae tanta sequetur,
 Quotque MEI CORDIS FILII per saecula vocari
 Gaudebunt». CLARET scrutanti lumine figit
 Obtutu: ecce acies praebet omnibus agmine primo
 Robore virgineo exsultans et vestibis albis...
 Martyrii incedunt rubri tum sanguine vitam,
 Quam prior ipse dedit, norunt qui reddere Christo...
 Innumeri effusi hos circum comitantur euntes
 Omnibus ex tribubus, populis ac gentibus orbis.
 Copia magna ducum hos inter super eminent omnes
 Visa boni cunctis sapiens verique magistra,
 Quos fratres claros post se per longa futuros
 Saecula sacerdotali agnoscit CLARET honore;
 Agnoscit gaudetque animo exclamans: «Deus adsit
 Inceptis nostris! Operantes adjuvet omnes,

*Ac dignum.tribuat coeptis imponere finem,
 Ut terrae et caeli Domino sit gloria soli».*
*—Talia dum fatur vanescit visio. CLARET,
 Ut sibi mente redit consuetaque Virginis ora».*
*Aspicit: «O semper nostros miserata labores...
 O Mater, lacrimis, commiscens gaudia, clamat;...
 O pia, quae suavi, fundis solacia vultu...,
 Alma Dei Mater, dulcissima Virgo Maria;
 Ecce NOVUM praebeas natis mortalibus AEVUM
 Jure TIBI CORDIS quod tempora cuncta vocabunt».*

A. LUCESOLE, Pbr.

Apud Vicum González Catán, in Argentina.

Commercium epistulare

Andreas Avenarius S. V. D. Joseph Mir C. M. F. compresbytero S. D.

Ab eo, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum, cum haec leges precatus ero Tibi per interventum etiam Nutricii Patris Christi, omnia fausta, felicia, fortunata, et illud, ut quam saepissime in hac terra eundem anni diem amore stipatus fratrum tuorum celebrare contingat.

Nuperrime, antequam has ad Te darem litteras properavi ad viam Juliam, partim ut salutarem Patrem Generalem vestrum, meum popularem, partim ut expiscarer ex Rev. P. Schwientek, quae vellem. Opportunitas data est maxima; nam timendum erat, ne domi esset. Res successit ex sententia. Itaque licuit loqui cum Reverendissimo, qui nominis mei non erat ignarus. Illi ergo post salutationem statim de te agere coepi; nam idcirco me perturbatorem irrupisse dicebam, ut Patrem Generalem orarem, te ut quam maxime liberum teneret officiis reliquis, teque juberet unice vires dicere PALAESTRAE, cujus nomine a Summo Pontifice nuper laudata Congregatio Claretiana esset. Neque credideris, o Joseph, me tantum sermocinandi gratia aut prophasin tale argumentum introduxisse. Nimiis et nimium multis negotiis distenderis, quam patiatur floridior status PALAESTRAE. Dudum compositum bellum est, et tamen illa sex macilentis fasciculis annuis constat, cum fuisset menstrua. Si ego per aetatem et per officium facere possem, mihi crede inundatione commentariorum et articulorum provocarem vestram audaciam, immo vero, si per oboedientiam liceret, non essem passus cum Fornario interire ALMAM ROMAM, et nobili certamine cum PALAESTRA contenderet ALMA ROMA. Sed aetas abiit jam mea, neque licet per incertum virium subire periodicum laborem. Vos igitur, fortes viri, vobis velim persuadeatis gratissimam rem Apostolicae Sedi

facturos et Latinitatis fautoribus, si conjunctis viribus, quæ res quondam tribus propagabatur periodicis, eam solam PALAESTRAM superstitem tueri debere memineritis. Avenarius, quoad per vires licuerit, suis elucubratiunculis navabit operam. Fui nuper, die beati Joannis Apostoli, bigario cursu Praeneste et Arpini M. Tullii patria urbe, acclinis illis ipsis moenibus cyclopiis, in quibus Tullii pueri oculi defixi erant. Quod iter jam dudum conscripsissem, si usquam meum ad Nemorensem lacum exitum conspicatus hucusque essem. Sed fortasse fuit expressum quod dico iter Nemorense in uno illorum fasciculorum centesimi decimi tertii et centesimi decimi sexti, quos ego fasciculos nunquam accepi, sed ideo accipere pervelim, ut solutos jam satis multos fasciculos tradere possim bibliopego fratri nostro colligandos, futurum decus loculamentorum meorum. Locutus de ea re sum etiam cum P. Schwientek, qui pollicitus est mihi se visurum inter suos fasciculos, et, si invenisset, copiam mihi se facturum. Ego contra pollicitus sum me rursus de re ad te scripturum, et, si venissent illi duo fasciculi, me restitutum illi, ne ipsius collectio duobus privaretur numeris. Nihil dum accepi a P. Schwientek, a quo satis magno spatio divellor, pedestri itinere minutarum quinquaginta. Sed fortasse hoc anno sacro ipse Romam venies, et si tum adero, quæ nunc, ut in digitos fluebant, battui, tractabimus coram. Hic postridie exiturus in Tusculanum agrum finem feci scribendi, Idibus Martii vespere ante somnum.

Vale et salve.

Jos. M.^a Mir, C. M. F., Rdo. P. Andreae Avenario, viro litteratissimo, sal.

Quantum tuæ gratulatoriæ litteræ mihi attulerint gaudii ac solacii non est cur tibi patefaciam; nam opportune ad nos, o bone Pater Avenari, semper advenis. Tuæ tamen in nominali meo post alias nonnullas pervenerunt litteras... Deinde, negotiola nostra continuo tractu sunt subsecuta, tempusque meum, ut tibi statim rescriberem, surripuerunt. Nunc tandem quas paucos ante dies raptim legeram litteras, attento animo persequor, et in primis quæ fausta, felicia, fortunata a Domino in me desiderabas et fuerunt, feliciora tibi adprecatus sum nuncque expostulo.

Te cum Rdmo. Patre nostro collocutum maxime gaudeo, rem tamen cum illo difficilem pertractasse video, praesertim cum tot sint negotia et officia ob-eunda et perpauca qui in his perfungendis vires et opera impendere possint.

Jure meritoque nostram —quam alii ignaviam aut socordiam appellaverint— tu excitare atque audaciam provocare tentas ut PALAESTRA LATINA —quæ et Congregationi Claretianæ totique Ecclesiæ est decus quæque a Summo Pontifice laudibus meruit honestari— tandem assidua actione et opera singulis mensibus studia latina amplificet atque propaget... Sed quæ tu meditaris, nobisque socordibus recte improbas, mente saepe et nos evolvimus cum Patre nostro carissimo Jos. Jiménez, qui hocce ipso anno me prope in eam adduxit sententiam, a qua tamen et multitudine rerum agendarum et valetu-

dinis non satis firmæ causa recedere sum coactus. Utinam te et Deus et Superiores nostri audiant, nosque vigilantiore opera atque studio latinis litteris favere valeamus; sunt enim plurima quæ continuo apud viros litteratissimos in novis operibus et commentariis proferuntur perscrutanda et investiganda quorum ignari prorsus sumus, cum ad id tempus minime suppetat.

Misi ad te commendatum per publicos tabellarios opusculum «Nova et Vetera»; nunc autem fasciculos PALAESTRAE LATINAE a n.º 113 ad 120.

Exemplaria fasciculorum 80, 81, 98, 99, 100, 105, de quibus tu in numero 113, pag. 479, ad te demum cum primo tomo religato PALAESTRAE pervenisse spero. Rescripseram quoque in numero 118, p. 107 fasciculos 113 et 115 ad te missos. Tuam vero de Nemorensi lacu narrationem in fasciculo 115 scriptam leges. Novi itineris tui in Marci Tullii patriam, narrationem expectamus.

Longior epistula, quam ad me aliquot abhinc menses misisti, continuo in PALAESTRA prodibit.

Utinam cum P. Sarmiento in sollemniis Canonizationis Patris nostri convenire et confabulari possimus. Quod Deus faxit. Interim Domino nos commenda. I lurimum vale.

Barbastro, postridie kal. apriles, an. 1950.

Bibliographia

MICHEL LEJEUNE. — *La posición del latín en el dominio indoeuropeo*. Trad. y Pról. de C. Alberto Ronchi March Edit. Coni, Buenos Aires, 1949.

In hoc opusculo Dnus. Lejeune qui Linguisticam in Universitate Parisiensi profitetur, docet quo loco sint studia quæ ab ineunte saeculo linguisticum, ut ita dicam, sermonis latini situm intra fines indoeuropaet definiri conantur. — Quem ad finem latinae linguae respectus ad italicas, celticas, occidentalesque linguas perpendit in primis, optimeque deinde decernit omnes doctorum disputationes de italica aut italo-celtica sermonum societate nihil aliud esse nisi novas quasi progressiones duarum illarum inter se oppositarum sententiarum: hinc Schleicher *Stammbaumtheorie*, illinc J. Schmidt *Wellentheorie*. Si rationem etiam habemus notitiarum omnium quæ inter exponendum aliis de quaestionibus adjiciuntur, statim intellegemus quantam librorum copiam auctor adhibuerit quamque multas viciniores

quaestiunculas ad trutinam revocaverit ut ad metam libelli inscriptone expressam haereret.

M. LAVARENNE. — *Initiation à la Métrique et à la Prosodie latines*, avec de nombreux exercices pratiques. Editions Magnard, Boul. Saint-Germain, Paris, 1949.

Libellus quasi optimum ducem se praebet his omnibus qui Prosodiam artemque Metricam adoriuntur. Dedita opera, quaestiunculas quæ sunt in controversia praetermittit, illas maxime quæ ad Plauti Terentiique metricam rationem spectant. — Contra vero, tot exercitationes proponuntur, ut adulescens, qui in eis perficiendis operam studiose impenderit, multum ad quoscumque versus scandendos, se arbitretur adeptum. — Quoad implexiores autem quaestiones, non dubito quin adulescens noster hoc opere lectitando futurus sit idoneus qui etiam doctorum disceptationes assequatur.

I. MAULEÓN

NOVA ET VETERA

Ludus litterarius — Schola hodierna


In superiore piçtura scholam romanam inspeximus, nunc autem hanc nostrae aetatis considerabimus.

Johannes Gundisalvius Josephum filium cottidie in scholam accedere jubet. Et Josephus primo mane e lecto surgit, preces matutinas pie recitat seque signo crucis munit ¹, parentibus faustum felicemque auguratur diem ², pensum a magistro impositum parumper memoria recolit, scholastica instrumenta ³ parat, breviusculum jentaculum sumit, deinde manu cistulam scholasticam ⁴ accipit aut illam in tergo suspendit, ut optimus amicus Paulus, quicum saepius in aulam pergit. Adeo litteras amat bonus Josephus, ut toto anni curriculo nullum scholae fraudatus ⁵ sit diem.



Scholae aedificium aliquantum extra urbem est situm, recens est exstructum omnibusque hodiernis commodis ornatum. Duobus constat tabulatis ⁶, quae in plures aulas distinguuntur, ut litteratores ⁷ et magistri puerulos minores et majores aptius edocere seorsum possint. Aulae maxima luce collustrantur, quae per fenestras penetrat, ac diebus nebulosis, hiberno in primis tempore, magnis globis electricis ⁸ aut minoribus pirulis ⁹. In fronte scholae signum nationale ¹⁰ prostat, ante illud saepe pueri congregantur statuto ordine et extenta manu de more salutant.

Juxta est cavaedium ¹¹ magnum, in quo alumni ludere solent, alii per cavaedium decurrunt trochum ¹² agitantes, quem, ne in alios velociore impetu impingant clavi ¹³ moderantur; alii trigone ¹⁴ ac parietem delectantur; hi globulos ¹⁵ manu aut digitis movent atque collidunt.




Sed hora est ut in ludum litterarium ¹⁶ cum parvulis discipulis

ingrediamur. In infima contignatione litterator prima litterarum elementa puerulos edocet. Audi illum explicantem: «Arithmetica est ars calculandi; calculare ¹⁷ autem dicimus a calculis quos adhibemus ut facilius numeremus. Cum calculi in unum coacervandi sunt, additionem ¹⁸ facimus; cum vero ex uno acervo seu numero aliquid est subtraendum, deductionem ¹⁹ facimus. Accede ad abacum, Jacobule, et scribe: decem habeo mala aurea ²⁰ et alia quinque emo, quot fiunt? —JACOBUS: Additionis est calculus, scribo: decem (10) et infra scribo quinque (5), cui praepo-
no cruciculam, additionis signum: (10+5) fiunt quindecim (15). —Bene est».

«Formas ²¹ litterarum, pueri, saepe ostendi vobis; habetis ligneas, eburneas atque tabulam abecedariam ²². Nostis quae litterae vocales appellentur, quae vero consonantes. Sine vocali non fit syllaba et ex syllabis verba fiunt. Agite, pueri, syllabatim legite ²³, dein litteras computate ²⁴ dum dicitis: *Mamma, tibi volo bene!*

«Nunc scribendi est hora; ut recte litteras et versus ducatis ²⁵ calamum inter pollicem et medium tenete et indicem molliter super imponite, quo manus minus vacillabit; brachium liberum sit suoque pondere mensae seu serinio ²⁶ innitatur. Videte ne vacillantibus versibus ²⁷ scribatis neque lituris scripta commaculetis. Dum verba deformatis ²⁸, accentuum notationes ²⁹, interpunctiones ³⁰, virgulas ³¹, interrogationis, exclamationis, parenthesis signa diligenter observate».

Ascendamus nunc ad superiorem scholam, ubi Dominus Jacobus magister, majores pueros instituit, qui quidem vir est multarum rerum cognitione imbutus ³²; hispanice et gallice loquitur ³³; atque latine et graece scit ³⁴; sed in primis magna dexteritate pueros edocet eosque informat. Nunc sedet in cathedra, estque aliquantum in suppedaneo ³⁵ elatus ut ab omnibus videri facile possit. Pueri in suo quique loco sedent in mensa, quae binos capit alumnos ³⁶; saepius tamen singulares ³⁷ sunt mensae.



Alumni eandem vestem induunt, uniforme epitogium ³⁸; magister vero induit thoracem nigrum, collare ³⁹ album cum fascia collari. ⁴⁰ Pueri rationes mathematicas conficiunt, radicem quadratam ⁴¹ vel cubicam investigant. Petrus stat ad abacum et divisionem, perperam a Johanne confectam, emendat. Alumni secum in serinio vel domi habent ch artularium, ⁴² calamum, astrumentarium, graphium, ⁴³ graphium astrumentarium, ⁴⁴ boligraphum, ⁴⁵ stilographum, ⁴⁶ regulam linearem, ⁴⁷ thecam calamariam ⁴⁸ seu graphiariam, circinum, ⁴⁹ codices, codicillos, ⁵⁰ libellulos plagulis excindendis, ⁵¹ deletile, ⁵² gluten, ⁵³ parvum abacum cum lapide inscriptorio, ⁵⁴ cretam, cet.

En tibi Josephi serinium: cum ipse bona indole sit praeditus, quae in schola audit, domi ruminat atque in magno codice cottidie scribit; compositiones a magistro impositas sedulo exarat. Deinde lectioni operam dat; patris librorum helluator est; scit enim lectionem ingenium acuere, verborum copiam docere, sermonis

venustatem et elegantiam ostendere. Saepe ad multam noctem legit, ope lampadis electricae mensilis⁵⁵ quae juxta scrinium et bibliothecam est. Haec autem referta est libris quae collocantur in pegmatibus,⁵⁶ loculamentis,⁵⁷ forulis⁵⁸ nidisque.⁵⁹ Libri indicem seu titulum et auctoris nomen inscriptum habent ut facilius adhiberi possint. Libros, quos vides, editor typis excussit,⁶⁰ bibliopægas⁶¹ consuit et conglutinat, librarius⁶² vendidit; nunc autem in bibliotheca prostant.

VOCABULARIUM

1 signo crucis se munire,	<i>signarse, hacer la señal de la cruz</i>	32 multarum rerum cognitione imbui,	<i>tener vastos conocimientos, ser muy instruido</i>
2 faustum ac felicem diem augurari,	<i>dar los buenos días</i>	33 hispanice loqui,	<i>hablar el español</i>
3 instrumenta scholastica,	<i>útiles escolares</i>	34 latine scire,	<i>conocer, entender el latín</i>
4 cistula, capsula scholastica.	<i>bolsa, cartapacio</i>	35 suppedaneum,	<i>tarima</i>
5 nullum diem scholae fraudari,	<i>no dejar ningún día la escuela</i>	36 mensa binos capiens	
6 tabulatum, contignatio,	<i>piso</i>	alumnos,	<i>mesa bipersonal</i>
7 litterator, grammaticus,	<i>maestro de párvulos, de clase elemental</i>	37 mensa singularis,	<i>mesa personal</i>
8 globus electricus,	<i>globo</i>	38 uniforme epitogium,	<i>bata de uniforme</i>
9 pirula,	<i>bombilla</i>	39 collare,	<i>cuello</i>
10 signum nationale,	<i>bandera</i>	40 fascia collaris,	<i>corbata</i>
11 cavaedium,	<i>patio</i>	41 radix quadrata, cubica,	<i>raíz cuadrada, cúbica</i>
12 trochus,	<i>aro</i>	42 chartularium,	<i>carpeta</i>
13 clavis,	<i>guía</i>	43 graphium	<i>lápiz</i>
14 trigon, ōnis,	<i>juego de pelota</i>	44 graphium atramentarium,	<i>lápiz tinta</i>
15 globulus,	<i>bola, bolete, cana</i>	45 boligraphum,	<i>bolígrafo</i>
16 ludus litterarius,	<i>escuela elemental</i>	46 stilographum,	<i>estilográfica</i>
17 calculare,	<i>contar</i>	47 regula linearis,	<i>regla</i>
18 additionem facere,	<i>sumar</i>	48 theca calamaria, graphia-	
19 deductionem facere,	<i>restar</i>	ria,	<i>plumero, plumier</i>
20 malum aureum,	<i>naranja</i>	49 circēnus,	<i>compás</i>
21 forma litterarum,	<i>figura de las letras</i>	50 codex, codicillus,	<i>libreta, cuaderno</i>
22 tabella abecedaria,	<i>cartilla, abecedario</i>	51 libellulus plagulis excindendis,	<i>exfoliador, bloc</i>
23 syllabatim legere,	<i>silabear</i>	52 deletile (gummi),	<i>goma de borrar</i>
24 litteras computare,	<i>deletrear</i>	53 gluten, inis,	<i>goma de pegar</i>
25 versus ducere,	<i>trazar, escribir una línea</i>	54 lapis inscriptorius,	<i>pizarrín</i>
26 scrinium,	<i>mesa, escritorio</i>	55 lampas electrica mensilis,	<i>lámpara de mesa</i>
27 versus,	<i>línea, trazo</i>	56 pegma, atis,	<i>estantería</i>
28 deformare,	<i>trazar, escribir, dibujar</i>	57 loculamentum,	<i>estante</i>
29 accentus notatio,	<i>acento</i>	58 foruli, orum,	<i>anaquel</i>
30 interpunctio,	<i>punto</i>	59 nidus,	<i>anaquel, casilla</i>
31 virgula,	<i>coma</i>	60 typis excudere,	<i>imprimir</i>
		61 bibliopægas,	<i>encuadernador</i>
		62 librarius,	<i>librero</i>

Jos. M.^a MIR, C. M. F.

SPES — Diccionario Ilustrado Latino-Español Español-Latino. Prólogo de D^o Vicente García de Diego, de la Real Academia Española y del Instituto Cardenal Cisneros. Con un apéndice-resumen de Gramática Latina.

3.^a edición revisada y ampliada con LATIN ECLESIASTICO por el cuerpo de redactores de PALAESTRA LATINA.

Un volumen de 728 págs.: Ptas. 55.

SPES — Diccionario Abreviado Latino-Español Español-Latino, con ilustraciones, para los primeros cursos del Bachillerato.

Un volumen de 312 págs.: Ptas. 25.

ECHAURI — Diccionario Manual Latino-Español Español-Latino.

6.^a edición corregida y ampliada.

Un volumen de 830 págs.: Ptas. 50.

PABON-ECHAURI — Diccionario Griego-Español, con lista alfabética de formas verbales y apéndice gramatical.

2.^a edición corregida y ampliada.

Un volumen de 602 págs.: Ptas. 40.

PUBLICACIONES Y EDICIONES SPES, S. A.

« EDITORIAL SPES »

Avenida de Carlos I, 149

BARCELONA - 13

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

VINOS DE MISA

DE MULLER, S. A.

TARRAGONA

Casa fundada en 1851



Medalla de Oro en la
Exposición Vaticana de 1888 (S. S León XIII)
Proveedores de Sus Santidades
Pío X, Benedicto XV, Pío XI y Pío XII

Garantía de absoluta pureza

EXQUISITA CALIDAD

Certificados del Excmo Sr. Arzobispo de
Tarragona y de muchos otros Ilmos. Prelados

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

Compositiones vertendae

CICERON (I)

Salido de la oscuridad (1) gracias a sus estudios (2), dotado de profundo amor a la belleza y a la justicia (3) y de pasión por la gloria (4), consagró Cicerón a la patria (5) toda [su] elocuencia (6), la más grande (7) y bella que hubo jamás (8) en Roma, tan rica en oradores (9). Cuando empezó a distinguirse como abogado y como orador político (10), brillaba (11) entre todos Hortensio, el cual con su estilo asiático (12) formaba como una escuela (13). Cicerón, por entonces joven, se vió arrastrado por aquella halagadora apariencia (14) y obtuvo triunfos ruidosos (15) valiéndose de imágenes atrevidas (16) y hablando con mucho énfasis (17), cosas que él mismo reprobó (18) más tarde cuando (19) afinado por el estudio y la experiencia (20) buscó un nuevo método (21) que compendiasse (22) todas las bellezas oratorias (23) de griegos y romanos.

NOTAS: (1) *E tenebris in lucem evocari*. (2) *Optimarum artium studiis eruditus*. (3) *Admirabili quodam pulchritudinis atque honestatis amore incensus*. (4) *Gloriae appetentissimus*. (5) *Ad civium utilitatem referre*. (6) *Omnis dicendi facultas*. (7) Resuélvase este superlativo por una oración de relativo y un comparativo: «que la cual ninguna más bella ni más grande hubo jamás en Roma». (8) *Unquam*. (9) *In magna oratorum copia*. (10) *Forum attingere et causas et*

privatas et publicas adire coepisse. (11) *Excellere*. (12) *Genus orationis asiaticum*. (13) *Quandam quasi familiam ducere*. (14) *Dicendi specie ac pompa delectari*. (15) *Clamores facere, movere*. (16) *Imagines acres et insignitae*. (17) *Inflatum orationis genus; opimum quoddam dictionis genus*. (18) *Repudiare*. (19) *Postea quam, postea cum*. (20) *Doctrina excultus rerumque usu limatus*. (21) *Ratio*. (22) *Continere*. (23) *Oratoriae virtutes*.

AGUDA RESPUESTA DE DANTE

Dante Alighieri (1) fué un tiempo huésped (2) en Verona del Can de la Escala (3), príncipe de suma liberalidad, en cuya corte (4) había también otro florentino, hombre desvergonzado (5) e ignorante como el que más (6). Pero siendo amigo de chanzas y de risa, se divertía tanto con sus dichos, que le colmaba de ricos dones. Dante, que era tan sabio como modesto, le despreciaba como a un necio animal. Un día, aquel florentino le dijo: «¿Cómo (7) es posible que tú, a pesar de ser (8) sabio y docto, seas todavía tan pobre e infeliz, mientras que yo, bien que ignorante, soy tan favorecido de la fortuna (9)?» A lo cual Dante repuso: «Cuando encuentre un señor que se me asemeje a mí como tú has encontrado uno que se te asemeja, entonces sin duda llegaré a ser rico también yo...»

NOTAS: (1) *Dantes Aligherius* (o *Alligherius*). (2) *Hospitio alicujus uti*. (3) *Canis Scaliger* (o *a Scala*). (4) *Apud quem*. (5) *Impudens*. (6) *Quam qui maxime*. (7) *Qui* (úsase en este sentido en

las interrogativas directas, especialmente con los *v. fieri* y *posse*. (8) *Etsi, quamvis*. (9) *Omnibus bonis fortunae instrui*.

Curiosa et Jocosa

Epigrammata

261. — AVARE

«Hic longum ducit gelido sub marmore somnum
Rufus ob insignem notus avaritiam.
Qui e vita primo voluit decedere mane,
ne miseris emeret, sole calente, dapes».

262. — VERAX

—Ut sapiens, «tantum scio nil me scire». —Fateris
id quod ego soleo volvere mente mea.

263. — MEMOR PUELLULA

—Mater, emas pupam mihi. —Nunc est clausa taberna.
mane tibi pupam, quam modo poscis, emam.
At modo saviolum poscenti porrige matris.
—Mane dabo, modo sunt clausa labella mihi.

264. — INTER CONJUGES

—Audebisne meo configere lumina vultu?
femina deformis protulit ore viro.
Qui, patiens, digno Zenone apophthegmate: —Quidni?
omnibus assiduo more docetur homo!

265. — FIERI NEQUIT

—Quidnam rere meum, doctor, cruciare maritum?
—Debilitas cerebri. Deserat ille decet
curas omne genus capitis. —Nequit esse. —Quid obstat?
—Hei mihi, tonsoris munia sponsus obit!

266. — AVUS ET NEPOS

—Cum sim jam vetulus, meditor tibi tradere sortem,
care nepos, una condicione tamen:
quod modicos redditus, quaeso, mihi solvere cures.
—Tam modicos quantum tute jubebis, ave!

267. — —INTER PUELLAS

—Laeta venis nimium. —Dixerunt me esse venustam.
—Quando? —Modo... —Fueris quando venusta rogo.

I. MAULEÓN

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE

20 pesetarum in Hispania et America, 22 pesetarum in reliquis civitatibus,
Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca).

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarregae in Ilerda Prov.